ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Nobilis. ac Generose Vir

Ut intellexi te, diù nimiumq; absentem, salvum atq; incolumem rediisse in Patriam, nec animum nec calamum cohibere potui, quin tibi Studiorum meorum singularissimo Patrono gratularer; simulq; progressus meos, paulò latiùs, quam antè aliquot dies feceram, aperirem. Heri cum Heroë Descartio mediam diem in colloquiis Musicis consumpsi: qui me mirè acriterq; instigabat, ut Tractatum ad Praxim illam redigam, quâ Vocalis, atq; Instrumentalis Musica Flexanima modulatio inclaresceat. Eâ in re tantùm profeci, ut ex divisione Monochordi, omnes Harmonicos cantus, minutioribus intervallis, ceu vocis gradibus, hoc est, † semitoniis majore, minore, ac minimo (quod & Diesis Harmonica nobis dicitur) modulandos, expeditiori viâ luculentissimè demonstrem. Et primò quidem vivæ Vocis flexio, proportionalibus asperæ arteriæ partibus; tum capacitate Laryngis, ubi generatur; tum adæquatâ dilatatione, ac constrictione concinnâ formatricis Pharyngis, respondens: ipsaq; ars Cantandi, exiguo tempore, nullaq; negotio, docari atq; apprehendi potuit. Experimenta istius rei Viris Clarissimis Golio & Falcoburgio, Anatomica Subsidia mihi præbentibus, ad oculum ostendi. Deinde vero, etiam Organa, Cymbala, Testudines, Cithar, atq; alia instrumenta, ijsdem planè Harmonicis gradibus intervallisq; instructa, Voci ad amussim respondentia, fabricari potuerunt. Ut nihil sit quod Flexanimæ Musicæ desse queat. Experimenta post aliquot Septimanas præsto erunt: quæ data occasione tibi spectanda pulsandaq; offeram. Et quoniam tam avidè expectabas intelligere, quantùm in studio Musico profeceris; nec unico Epistolio omnia persecribi possunt; placuit hoc alterum addere: quò tuis desiderijs abundantius satisfaciam, et me tuo favori firmius

† utroq; Tono &

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263

innectam. Quippe qui pro ingenitâ tibi virtute, cum summâ animi voluptate, solos studiosorum ingenia, eorumque conatus non solum amare; verum etiam fovere, omnique benevolentiâ prosequi: donec partum eorum bono publico feliciter natum videas. Tuâ igitur obstetricante manu, scientiam hanc artemque liberalem in lucem editam, contra mechanicorum hominum sinistra judicia tuendam arbitror: ne ab ignorantibus insulsè explosa, Philomusis etiam prima fronte sordescat. Tantum est ut te præcipuè Reconditæ Christianæ Reipubl. feliciter conservetur. Vale, vir nobilissime, & me (ut soles) ama.

Nob. ac generose D. T.

Servus

Jo. Alb. Bannius

Harlemi XVII kal. Novemb.
CIↃ. IↃC. XXXIX.

639.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263

Nobiliss.° ac Generoso
Viro
D. Constantino Hugenio
Equiti,
Domino in Zuilichem,
Consiliario & Secretario
Suae Celsitudinis.

Hagae-Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 4
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2263